

Johann Christian Eschenbach

**Sacra Pentecostalia Indicit, Ad Eorvmqve Piam Celebrationem Cives Academicos
... Inprimis Dominorvm Stvdiosorvm Coronam, ... Cohortatvr, Insimvlqve
Cogitationes Recentissimi Cvivsdam Anti-Trinitarii De Spiritv Sancto Svb
Examen Vocat**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1756?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004036175>

Druck Freier  Zugang



J. 512.
1756.
Pfin.

J. 512.

—
1756. Pfingsten

~~M-1256.~~ 337.

44. 1756

RECTORE ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS
 MAGNIFICENTISSIMO,
 SERENISSIMO DVCE, PRINCIPE AC DOMINO,
 DOMINO
FRIDERICO,
 DVCE REGNANTE MEGAPOLITANO,
 PRINCIPE VETVSTAE GENTIS HENETAE,
 SVVERINI AC RACEVVRGI, COMITE ITEM SVVERINENSI
 ROSTOCHII ET STARGARDIAE DYNASTAE
 ACADEMIAE CANCELLARIO AC PATRONE
 MAGNIFICENTISSIMO,
 DOMINO, DVCE AC PRINCIPE NOSTRO
 CLEMENTISSIMO.



SACRA PENTECOSTALIA INDICIA
 AD EORVMQVE PIAM CELEBRATIONEM
 CIVIS ACADEMICOS O. O. HONORATISSIMOS,
 INPRIMIS DOMINORVM STUDIOSORVM
 CORONAM,
 PRO OFFICII RATIONE COHORTATVR,
 INSIMVLQVE

COGITATIONES
 RECENTISSIMI CVIVSDAM
 ANTI-TRINITARII

DE
SPIRITV SANCTO
 SVB EXAMEN VOCAT,
 MODERNVS ACADEMIAE PRO-RECTOR,
IOH. CHRIST. ESCHENBACH,
 PHILOS. P. P. O. DVCAL. ET IVR. VTR. D.

*Sub rursu
 ne elabor
 Esch. Bach*

ROSTOCHII,
 LITTERIS ADLERIANIS.

M. 1256 337

RECTOR AC ACADEMIAE ROSTOCKENSIS
SENIORIBUS DOCTORIBUS AC DOMINIS

DOMINO

F. R. U. D. E. R. I. C. O.



IN ROSTOCKO
MENSE FEBRUARII
DIE 15
SACRA THEOLOGICALIA INDICTIONE

ACADEMIAE ROSTOCKENSIS
SACRA THEOLOGICALIA INDICTIONE
ACADEMIAE ROSTOCKENSIS
SACRA THEOLOGICALIA INDICTIONE

COGITATIONES
RECENTISSIMI CIVIS DAM
ART. TRINITARI

DE
SPIRITVS SANCTO
BY F. R. U. D. E. R. I. C. O.

ROSTOCKENSIS ACADEMIAE ROSTOCKENSIS
ACADEMIAE ROSTOCKENSIS
ACADEMIAE ROSTOCKENSIS
ACADEMIAE ROSTOCKENSIS

*is non
aut
ff.*

1720



Nondum conquieverunt maxima illa certamina, quae Ecclesiae orthodoxae cum Anti-Trinitariis cuiuscunque generis, inprimis Arianis et Socinianis, a longis retro seculis et temporibus, intercesserunt. Ut enim taceam, dari in hunc usque diem integros coetus Arianismi et Socinismi veneno infectos, id inprimis dolendum est, inveniri in Ecclesiis Protestantium longe plures, qui olim sanio rem doctrinam de mysterio Trinitatis amplexi, ea reiecta, ad Arianorum et Socinianorum castra transferunt, eorumque errores postmodum, data quavis occasione, ornant, et in vulgus sparserunt. Quantopere istiusmodi Apostatarum ope Arianismus et Socinismus hodie in Anglia cristas erigat, partim ex controversiis, quibus ansam dederunt, IOH. LOCKIUS, GUIL. WHISTONUS, SAM. CLARKIUS, GEORG. BULLUS, DAN. WHITBY, THOM. CHUBBIUS, THOM. EMLYN et IAC. FOSTER, 1) partim ex iis disci praest, qui recentissimum Ecclesiae Anglicanae statum nobis

A 2

descri-

- 1) Vid. In D. BAUMGARTEN disput., exhibente *vindicias potentiorum Christi testimoniorum*, quibus superioritatem Patris adfirmare videtur contra Neo-Arianos et inprimis TH. CHUBBIUM, §. 1. 2. 3. seqq., Cel. Dn. D. WALCHIVS in der Einleitung in die *Wig. Streit.* auffer ic. Tom. IV. p. 291 seqq. B. RAMBACHIVS in *Colleg. Anti-Sociniano* Tom. I. p. 167 seqq.

descripserunt 2). Idem triste fatum, ut alias taceam 3), etiam expertae sunt Ecclesiae Protestantium in Germania. Quis enim est, qui nesciat, quantos eae perpeffae fuerint insultus, ab HENNIN. GIO HUTHMANNO, Rectore Ilefeldensi, a personato DEMOCRITO CHRISTIANO, seu vero nomine, DAN. CNORRIO, Superintendente Ostorodano, OTT. CHRISTIAN. DAMIO, Superintendente Elrichensi, CASP. ERNEST. TRHLERO, Rectore Ilefeldensi, IOH. HENR. REITZIO, Ecclesiaste per aliquot tempus Berleburgerfi, IOH. CHRIST. SEITZIO 4), CHRIST. FENDIO 5), IOH. IOACH. ROELINGIO, Pastore in Frisia Australi 6), Comite a ZINZENDORF, Herrphutianorum antesignano 7), ut alios nunc mittam 8).

Adiunxit se horum numero recentissime Autor ille anonymus, qui, anno proxime elapso 1755, foras prodire iussit: *Gedanken von Gott dem Vater, dem Sohne, und dem heiligen Geist, nach der Uebereinstimmung der Vernunft und Offenbarung, in einem Schreiben an einem berühmten Lehrer der Gottesgelahrtheit zur Prüfung entdeckt, Frankfurt und Leipzig 1755.* Saniozem ipsi quon-

- 2) Dn. ALBERTI Briefe, betreffend den allerneusten Zustand der Religion und der Wissenschaften in Groß-Brittannien Tom. 3. pag. 720 seqq, pag. 742. seqq.
- 3) Quantas turbas in Hollandia recentius excitavit, adoptatus, a nonnullis Mennonitarum doctoribus, Socinismus, docent *Acta Historico-Ecclesiastica* Tom. 7. p 218 seqq.
- 4) Legi de his omnibus potest Cel. Dn. D. WALCHIUS in der Einleitung in die Relig. Streit. außer der Luth. Kirche T. IV. p. 323 seqq., nec non in der Einleitung in die Relig. Streit. in der Lutherisch. Kirche Tom. I. pag. 848 seqq., et Tom. 2. pag. 779.
- 5) Conf. die Beyträge zu den *Actis histor. Eccles. Tom. I.* pag. 933.
- 6) Vid. *Acta Histor. Eccles.* Tom. II. pag. 849
- 7) IOH. PETR. SIGISMUND. WINCKLERI Socinianisches Wesen Herrn Grafen von Zinzendorf Stollberg 1715, nec non personatus ille *Theophilus a veritate* in dem Zinzendoffischen Bibel-Vergernisse pag. 89
- 8) De Ecclesiaste quodam Stargardienfi Socinianorum partes tuente, nonnulla dabunt, *Acta Historico Ecclesiastica* Tom. II. p. 301. seq.

quōdam mentem in doctrina de Deo fuisse, ipse non diffiterur, ich, hab' es gewagt, scribens, das Auge, das mich geärgert, auszureißen (vid. pag. 9.). Coetibus Protestantium vero ipsum fuisse adfoctatum, partim ex elogiis, quibus Dnum SACK, Theologum Reformatum ornat (p. 5. 6.), partim ex modo cogitandi, stilique indole haud obscure colligitur. Quodsi vera sunt, quae Autor de se ipso narrat p. 9. et 10., nunquam is ipse Theologiae se consecravit, sed per complures annos officio iudicis, non sine multa molestia, ut ipse fatetur, functus est. Interim tamen doctrinam de Deo Patre, Filio, et Spiritu S., prout eam Scriptura S. tradit, scrutari voluit; in talem vero incidit sententiam, quae secundum propriam eius confessionem (pag. 9.), plurimis inter Christianos contradicit, nimirum omnibus, qui *Symbolum Athanasianum*, sive rectius, doctrinam coelestem, in isto symbolo adcurate expressam, amplectuntur. Nec aliter certe evenire potuit, cum rimari voluerit non admirari mysteria in revelatione nobis proposita, nec in usu rationis instrumentali adquiescere, sed cuncta secundum eius decempedam metiri, eamque constituere normam et iudicem (vid. verba eius p. 9. et 10.). Quem turpem rationis abusum, s. Rationalismum, ceu fontem erroris, in Anti-Trinitariis, et inter hos etiam Socinianis, iam dudum recte notarunt et Theologi et Philosophi saniores inter nostrates. Factum hinc est, ut in doctrina de mysterio Trinitatis, apertissimam deprehenderit contradictionem (vid. pag. 11.), quamvis eam haud commonstret, sed dixisse ipsi satis sit, cum tamen ignorare haud debuerit, quam solide a Theologis et Philosophis nostris, inter quos est acutissimus LEIBNITIUS, omnis imputata contradictio sit sublata. Cum igitur a se impetrare haud queat, ut doctrinae hactenus creditae, quam nunc vero ceu absurdissimam perspexerat, amplius ad sensum suum imperiatur, ad Arianorum et Socinianorum errores delabatur, ex eorumque more, sanctissima Scripturae S. effata partim misere pervertit, partim nonnulla huc illucve conquirat, quae cum praeconceptis suis opinionibus convenire ipsi videbantur, omissis reliquis omnibus, quae cum illis conciliari nequeunt. Cum Socinianis vero in eo exacte conspirat:

- I. Deum Patrem esse unum verum illum Deum, quem Scriptura S. nobis manifestet, et praeter quem nemo alius sit Deus.

2. Spiritum S. vero nihil esse a Deo Patre distinctum, sed infinita eius adtributa, quae ipsi competunt, quatenus est spiritus, agendi-que vim, per quam in aliis spiritibus finitis producit operationes spirituales, sive dona spiritualia, qualia habuerint Apostoli, & promissa sint omnibus, qui verbo divino haud malitiose resistunt, per quod homines illuminantur et sanctificantur.

Arianis vero in doctrina de filio Dei prorsus accedit, praeeexistentiam eius ante tempora mundi conditi quidem adferens, non aliter tamen, quam creaturae a Patre, quae ideo nomine primogeniti prae omnibus creaturis veniat, quamvis sit omnium nobilissima, angelis et hominibus longe excellentior, Deoque inter creaturas reliquas simillima, cuius tamen perfectiones non sint summae et infinitae, sed maioris subinde augmenti capaces.

Nihil novi, neque quoad res, neque quoad modum probandi, his omnibus in medium profert novissimus hicce S. S. Triados impugnator, nisi forsitan inter novitates referre liceat, quod Arianismum ex libro Siracidis *cap. XXIV. 14.*, stabilire velit, (vid. pag. 20. et 21.) qui tamen est Apocryphus, et a Neo-Arianis omnibus, quantum ego quidem scio, pro tali habetur, nec in probandis erroribus in medium profertur, quamvis id omni conatu, licet infelici 9), agant, ut Siracidem, ceu Arianum ante Arium, suo adiungant coerui. Ex quanam igitur ratione, quove consilio id fecerit, ignoro. Forsitan lectoribus Pontificiis hoc ipso placere, suisque placitis inter eos adfersum eo facilius conciliare tentavit. Vix igitur opus foret, in refutandis meditationibus huius Adversarii, tempus et operam perdere, cum Arianorum et Socinianorum errores adeo solide et accurate fuerint refutati, ut dici haud queat, quod non dictum fuerit iamdudum. Interim cum certo sciam, scriptiunculam illam, cuius titulum, summamque eorum, quae continet, in anterioribus recensui, versari hic

9) Vid. B. IOH. ALBERT. FABRICIUS in *collectione librorum apocryphorum* pag. 363 seqq. ostendens, quomodo Siracides ab isthoc errore liberari queat, quamvis non nesciam, dari alios ex nostris, qui Arianismum hic invenire velint, ut eo felicius contra Pontificios, aliosque, *Ἐσθητικῶν* huius libri defendentes, disputare queant.

hic loci in multorum manibus, et legi a nostris civibus, ego nec ab officii, quod nunc gero, ratione, nec a praesentis temporis, ad quod pie transigendum nunc omnes mihi excitandum est, indole, alienum duxi, si meditationes illas adcuratori subiicerem scrutinio. Cum vero totius libelli examen nimis longe memet detineret, circa solas *meditationes de Spiritu S.* occupabor. Quorsum hic omnia redeant, generatim iam dixi. Priusquam vero ad specialiora descendam, praemittenda erunt nonnulla, quae fontes errorum, ab Autore anonymo commissorum, detegere, et in examinandis iis, quae ab ipso in medium proferuntur, multo usui in subsequendis esse possunt.

Non repetam, quaecunque de abusu rationis in mysteriis iamiam monui, id tamen urgere volo, dogma aliquod, quod est supra rationem, nullo modo habendum esse pro tali, quod est contra rationem. Quid vero supra rationem sit, ex eo diiudicari debet, utrum in revelatione, quoad evidentiam testimonii, sit fundatum. Hoc enim si locum habet, statim pro dogmate, quod est supra rationem, s. pro mysterio habendum erit. Revelatio enim legitime explicata, rationi sanae intraque limites suos subsistenti, contradicere nequit. Videbimus in sequentibus, haec omnia de doctrina de Spiritu S. valere.

Id porro ab omnibus, qui doctrinam de Spiritu S. ex Scriptura S. eruere volunt, iure postulari potest et debet, ut ne unum alterumve effatum de Spiritu Sancto, ex Codice S. adsumant, quod cum praeconceptis huius vel illius sectae opinionibus ad speciem conciliari potest, neglectis reliquis, quae cum iis simul stare nequeunt, sed ut omnia complete considerentur, quaecunque Deus in verbo suo his de veritatibus nobis revelavit. Quantopere Adversarius contra hanc regulam peccarit, sequentia monstrabunt.

Ante omnia vero observandum est, terminum Spiritus S. in vario, eoque triplici, significato in Scriptura S. occurrere, ita ut sumatur 1. *Essentialiter* s. *ἑπιωδῶς*, eoque ipso essentia Divina, quae spiritualis est, cum omnibus suis perfectionibus infinitis, exprimitur, veluti e. gr. Christus *Iob. IV. 24.* dicit: *Deus est Spiritus*, quo significato non tertia solum, sed etiam prima et secunda Deitatis persona est Spiritus, et quidem Spiritus S., quia Deus Trinus sanctus est, *Ies. VI. 3.*, quamvis in Scriptura S. nec de Deo Patre, nec de Filio,
adpel-

adpellatio Spiritus, cum addito Sancti, inveniatur. 2. *Tropice* et μελο-
 ρημωδῶς, ita ut idem sit ac dona et effectus Spiritus S. Talia *Iob.*
VII. 39. ubi Christus de donis Apostolis et fidelibus in primaeva Ec-
 clesia conferendis, loquitur, intelliguntur, vid. etiam *Aët. XIX. 2.*
 et *I Thess. V. 19. 3.* *Personaliter* s. ὑποκειμενῶς, ut denotet suppo-
 situm aliquod intelligens, s. personam. Sic Christi Deitas, quae non
 solum est natura, sed secundum quam Christus etiam est persona, in
 multis locis vocatur spiritus *Rom. I. 4., I Tim. III. 16., I Pet. III. 18.*
 et *I Cor. XV. 45.* Christus vocatur πνεῦμα ζωοποιόν, Christus vero
 nemine contradicente est persona. Inprimis autem hoc termino indi-
 catur persona, quae praeter Patrem et Filium in Divinis adest. Iun-
 gitur enim Patri et Filio Spiritus S. *Matth. XXVIII. 19., I Iob. V. 7.*
 Pater vero et Filius sunt personae. Ergo etiam Spiritus S. talis erit.
 Conatus Socinianorum 10) enervandi hocce argumentum ex eo,
 quod *I Sam. XII. 18., Exod. XIV. 31., Aët. XX. 32, Eph. VI. 10.,*
 coniungantur cum Deo et personae et res, quae tamen ad essentiam
 Dei non pertineant, plane sunt irriti, cum in dictis adlegatis scopus
 non sit adlegare personas Divinas, qui tamen in verbis Christi et Io-
 hannis adest, ubi recensentur illi, in quorum nomine baptismus ad-
 ministratur, et qui sunt in coelo testes, quod utrumque de nullo alio,
 nisi de solo Deo valet. Porro: Per Spiritum S. nobis in Scriptura
 S. fisti suppositum aliquod, non peculiarem quandam virtutem et ef-
 ficaciam, qualitatem, perfectionem et adtributum in Deo, ex eo patet,
 quia in quam plurimis Scripturae S. dictis, genuinus ipsi tribuitur cha-
 racter, ex quo suppositum cognosci solet. Talis est operatio, ut On-
 tologia docet, in nouissimo Canone: *agere est suppositorum, agere cum*
ratione est personarum, quod nec ipsi, hac in parte, nostri aduersarii,
 inprimis Sociniani, qui Spiritum S. negant esse suppositum, diffiten-
 tur 11). Sic enim de Spiritu S. expresse dicitur, quod adparuerit,
 s. descenderit *corporea specie* de coelo *Luc. III. 22.*, quo ipso descen-
 sus

10) *Catech. Racov. pag. 37. 38 edit. rarior Racov. 1609*

11) Ita SOCINUS *contra WUIEKIUM pag. 492 apud B. PAUL. TARNOVIUM de S. S. Trinitate pag. 961* adsumit; actiones sunt personarum s. suppositorum, Rectius dixisset: actiones sunt suppositorum, actiones cum ratione, personarum.

fus significatu maxime proprio innuitur. Tale quid non quadrat in virtutem, operationem, qualitatem, dona, (quae quidem teste *Iac. I. 17.* descendunt a Patre luminum, non tamen descendunt s. adparent visibili specie, hinc longe alio significatu dicuntur *καὶ ἁγιώτατος*, ac quidem Spiritus S.,) sed potius in suppositum s. substantiam in individuo existentem, et completam, quemadmodum etiam ex inductione omnium exemplorum in Scriptura evinci potest, solas personas adparuisse. Tribuitur ipsi intellectus *I Cor. II. 10. 11.*, voluntas *I Cor. XII. 11.*, hinc suppositum praecise est intelligens s. persona. - - Tribuuntur ipsi operationes, quae non nisi in personam cadunt. Confert dona membris Ecclesiae, eaque spiritualia, in comunem usum, hinc ad certum finem, ab ipso intentum, *I Cor. XII 7. 11.*, interpellat pro nobis apud Deum gemitibus inenarrabilibus, quorum sensum Deus novit *Rom. VIII. 16.* Iple voluntatem Dei hominibus revelat, atque ad homines loquitur ut persona. Petro dixit *Act. X. 19. 20*: Ecce! tres viri quaerunt te. Surge itaque et descende cum illis, *ego misi eos, Act. XIII. 1.*, ad doctores Antiochenos dicit: Segregate mihi Paulum ac Barnabam, *in opus, ad quod adsumsi eos*, quae omnia nec de virtute, nec de donis, qualitate etc. valent, sed de persona saltem. Christus ad discipulos suos *Ioh. XIV. 26., XV. 26. 27., XVI. 7. 8. 13. 14.*, ita loquitur, ut verba eius nihil aliud sint, quam totidem testimonia Spiritum S. esse personam. Siffit enim nobis Spiritum S. audientem, restantem, arguentem, docentem. Iubemur baptizari in nomine Spiritus Sancti aequae ac Patris et Filii *Matth. XXVIII. 19.* Si igitur Pater et Filius baptismi autores haec phrasi designantur, cur non idem de Spiritu S. valere debeat, nulla prorsus adparet ratio 12). Id quidem agunt adversarii nostri, ut claritate argumentorum, quae producta sunt in medium, ad angustias redacti, ad prosopopoeiam et genus loquendi metonymicum confugiant, nec alia ratione, haec omnia de Spiritu S. dici adferant, quam de vento, quod spirer, ubi velit, de peccato, quod occiderit, de litera, quod occidat, de sanguine Abelis, quod loquatur, de charitate, quod

B fit

12) Dubia, quae *catechesis Racoviensis* pag. m. 39 obmovit, solide removit Dn. D. OEDERUS in *adnotationibus ad eandem* p. 97. sq.

fit longanimis, benigna, non invidet etc. 13), quam vero iniquè hoc ipso agant, dici vix potest. Sic enim certum est, nihil in Scriptura S. de Spiritu S. praedicari, quod non etiam de Patre et Filio enuncietur. Sic e. gr. Pater scrutatur corda et renes, *Pj. VII. 10.*, quemadmodum Spiritus scrutatur omnia, etiam *βασιθη ἰδ̄ θε̄ς, 1 Cor. II. 10.* Pater venit ad fideles, et habitationem facit apud eos, *Iob. XIV. 23.*, non secus ac Spiritus, *1 Cor. III. 16.* Per Christum Pater locutus est ad nos omnia *Ebr. I. 2.*, nec non Christus testis est fidelis *Apoc. I. 5.*, aequè ac Spiritus S. locutus, deque Christo testatus est. *Iob. XVI. 13.* Cum vero in istiusmodi dictis, quae de Deo Patre et Christo agunt, nemo non adversariorum personalitatem Patris et Christi inveniat, inque sensu proprio omnia sumat, cur de Spiritu S. id negetur, omniaque improprie explicentur, scire vellem. Accedit, quod Scriptura S. quando per prosopopoeiam rebus inanimatis tribuit, quae animatis competunt, raro id faciat, inque aliis locis plurimis de rebus inanimatis loquatur proprie, et ex parte tantum, unum vel alterum personae adtriburum iis tribuat. De Spiritu S. vero loquitur uniformiter, et semper tanquam de persona. Plura nunc non cumulo (14). Certum igitur est, Spiritum S. esse personam. Verum talis praecise est persona, quae aequè Deus est ac Pater et Filius, iisdemque prorsus *ὁμοστικός*, s. unius eiusdemque essentiae numeralis. Non enim eadem nomina solum Divina soli Deo propria, inprimis nomen *יהוה* et *אדוני*, quod summus et aeternus Deus unice sibi vindicat, *Ies. XLII. 8.*, sed et eadem prorsus adtributa, quae eandem essentiam supponunt, et opera, quae eandem agendi vim involvunt, imo idem plane cultus, qui easdem plane perfectiones commonstrat, aequè ac Patri et Filio, ipsi in Scriptura S. tribuuntur (15). Praeterea est persona

13) *Catech. Racov pag. m. 215, SOCINUS contra WUIEKIUM pag. 493 seqq., IOH CRELLIUS tract. de spiritu S. qui fidelibus datur Cap. III. pag. 142*

14) *Conf. PEARSONIUS in expositione Symb. Apost. Cap. VIII. pag. 547. contra prosopopoeiam hanc effictam solide disputans. Addatur B. CALOVIUS in Scriptis Anti-Socinianis passim.*

15) *Ex Lutheranis inprimis Deitatem Spiritus S., realemque ejus a reliquis personis differentiam, ex instituto evicerunt, S. vener. Dn. BURGIUS, in disp. sub Praesidio B. GODOFR. OLEARII*

sona Divina a Patre et Filio realiter distincta. Non enim solum *Ioh. XIV. 16.* expressis verbis ἄλλος s. alius vocatur ac Filius, sed etiam a Patre ut missus a mittente distinguitur, ut characterem eius hypostaticum, scilicet processionem aeternam a Patre et Filio, nunc taceam, cum deductio eius ex Scriptura S. nimis longe memet detineret 16). Nec reticere hic licet; significatum metonymicum, secundum quem Spiritus S. idem est, ac dona eius, significatui hypostatico s. personali non posse ita opponi, ut unus alterum excludat, sed hunc potius in illo supponi, imo involvi. Spiritus S. enim dicitur in Scriptura S. inhabitare fideles, venire ad eos, quiescere super iis etc. quae eiusmodi phrasae sunt, quae actionem involvunt. Actio autem non doni est, sed suppositi et personae. Hinc non solum dona Spiritus S. indicant, sed et simul Spiritus S. personam. Quid? quod Spiritus S. et dona eius saepius combinentur, ut donans et donum. Hinc Scriptura S. loquitur de Spiritu gratiae, precum, filiationis, etc. ubi alius est Spiritus, aliud gratia, preces, filiatio etc., et Paulus *I Cor. XII. 7. - 12.*, postquam dona Spiritus S. recensuerat, statim addit: *haec omnia*, scilicet dona, in antecedentibus commemorata, operatur, ἃ ἐν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, unus et idem Spiritus, (una eademque persona, quamvis sint varia et multiplicia dona et operationes eius,) distribuens unicuique sua, prout vult 17). Contra quae omnia, dici vix potest, quantum peccarit Adversarius.

B 2

His

Lips. 1711. habita, de Sp. S. cum Patre et Filio adoratione et glorificatione, contra WHISTHONUM, quae Anglis adeo se probavit, ut multis eam encomiis ornarint, S. Rev. Dominus IOH. CHRIST. PFEIFFER, Theologus Erfordiensis, in disput. sub Praesidio B. WEISSENBORNII tenae 1740. habita, de divinitate S. S. cap. II., S. Rev. Dnus STEIN in disput. inaug. qua Deitas S. S. vindicatur, Erlangæ 1744. Ex Calvinianis praeter PEARSONIUM solide id egerunt, WITSIUS in exercit. in Symbol. Apost. Exercit. 23. pag. 419. seqq., LAMPIUS in disp. Theol. de Sp. S. Syntagma Dissertationum a GERDESIO collectarum insertis, disputat. 5. pag. 151. seqq.

16) Vid. autores nota praecedis allegati.

17) Vid. LAMPIUS l. c. pag. 108.

His omnibus rite praemissis, distincte nunc indicare licet, ubi et in quibus a veritate aberraverit Autor cogitationum supra memoratarum.

I. Quoties, inquit, Scriptura S. nominat Spiritum S., toties per eum intelligit adtributa divina, quae ipsi competunt, quatenus est spiritus, ita ut Spiritus aeternus, bonus, Spiritus sapientiae et intelligentiae, veritatis, gratiae, pacis etc. idem sit ac Deus ille unicus et verus, aeternus, bonus, sapiens, graciosus etc. nec non per Spiritum S. indicat operationes Divinas, quae non nisi in spiritibus possunt produci, et ab iis recipi; ut adeo spiritus amoris, gaudii, patientiae, mansuetudinis etc. et amor, gaudium, patientia, mansuetudo etc. divinitus collata, sint prorsus eadem. Haec summa est eorum, quae pag. 13. 14. 15. in medium proferuntur, quam accurate memet repraesentasse animadvertet quilibet, qui verba Adversarii cum hac mea recensione conferre voluerit. Mirifice autem illum falli certum est. Talia enim nemini, Scripturam S. ita legenti, prout in superioribus requisivi, scilicet, ut nihil eorum, quae de Spiritu S. tradit, omittat, iis saltem admissis, quae cum praconceptis huius vel illius sectae opinionibus, conciliari ad speciem queunt, posthabitis vero reliquis, quae cum illis pugnant, in mentem venire possunt, nisi qui aut adserat; Scripturam S. terminum Spiritus S. nunquam in significatu hypostatico, semper vero in significatione essentiali et metonymica tantum sumere, aut adfirmer; omnia, quae pro significatu hypostatico adstruendo, in medium prolata sunt, per prosopoeiam explicanda, sive potius pervertenda esse, cuius tamen contrarium, nisi me omnia fallunt, solide et clare satis in antecedentibus evictum, et extra dubium a me est positum. Certum est: Deum esse spiritum qua essentiam. Ex eo autem non sequitur, Ergo: Solus Pater est Spiritus ille sanctus, in Sacra S. commemoratus; sed potius, simul ac demonstratum est, ut supra, quantum ad Spiritum S. adinet, a me factum esse memini, Filium et Spiritum S. esse personas Divinas, eandemque numero essentiam cum Patre habere communem, recte etiam dicere possum; Filius est Spiritus S., et Spiritus S. (personaliter) est Spiritus ille S. (essentialiter), hinc unicus ille verus, aeternus, bonus, sapiens, graciosus etc. Et quantum ad operationes Divinas in animas fidelium adinet, supposita regula Theologica

gica: opera ad extra externa essentialia sunt indivisa, s. omnibus tribus personis divinis ex aequo communia, suppositoque ordine trium personarum ad extra agendi, ordini in subsistendo conformiter, eodem iure, quo dicere possum: Deus, ceu Pater luminum, confert omne donum bonum et perfectum *Jac. I. 17.*, (ad quod dictum provocat Adversarius) etiam dici potest et debet: Filius et Spiritus S. conferunt dona sua fidelibus, ita, ut haec dona conferantur a Patre per Filium in Spiritu S. ab utroque mislo. Nec haec collatio donorum Spiritus S. eius personalitatem excludit, sed potius simul includit et involvit, ut supra comprobatum est. Hinc nulla prorsus est necessitas, quando Scriptura S. commemorat Spiritum sapientiae et intelligentiae, Spiritum veritatis, gratiae, pacis, gloriae etc. praecise de solo Deo Patre cogitandi, qui dona ista conferat, sed aequae facile, vel de SS. Trinitate, vel de tertia persona Deitatis, cui collatio donorum adpropriatur, haec omnia intelligi possunt. Ad quod diiudicandum, inprimis ad ea, quae textus suppeditat, criteria et praedicata respiciendum est, utrum sistant nobis Deum qua essentiam, an vero qua personam, eamque tertiam. Quod posterius quidem ex characteribus, operibusque personalibus, relativaque oppositione personarum Divinarum, haud difficulter colligi potest, dummodo mens sit praecudicis vacua, nec veritati repugnet.

Nec possum hoc loco reticere, Anti-Trinitarium nostrum sibi ipsi dicam scripsisse, et quam manifeste hic hallucinetur, indicasse ipsum. Quando enim ad verba Christi *Matth. XII. 31. seqq.*, *Marc. III. 25.*, *Luc. XII. 10.*, delabitur, ubi de peccato in Spiritu S. agitur, non potest non eadem, adsumtae suae hypothese convenienter, de peccatis in Deum Patrem commissis intelligere, quemadmodum actu quoque facit, quando pag. 26. ita scribit: Ich gedenke jetzt nur, daß nach Christi eigenem Ausspruch alle wieder seine Person begangene Sünden und Lästerungen Vergebung finden, die Lästerungen aber wieder den Heil. Geist d. i. wieder den einzigen wahren Gott (qui est solus Deus Pater ex mente Adversarii) nicht vergeben werden können. Sic igitur omnia peccata, ne unico quidem excepto, erunt irremissibilia, cum committantur contra unum illum verum Deum. Quis vero haec unquam adfirmavit aut adfirmare potest?

Taceo, quod haec explicatio aperitissime verbis Christi *Marc. III. 28.* contradicat, quippe in quibus etiam blasphemiae, quae contra Deum eruclantur, remissibilia pronuntiantur. Discere igitur ex isthoc specimen potuisset Adversarius, quantopere a veritate discedat.

II. Hae operationes Dei, ita pergit, quamvis per media ordinaria se exerant, tamen ita exprimuntur: quod Spiritus S. effundatur, quod cum ipso ungamur, in nobis habitet, quae posterior phrasis id tamen non involvit, quod per unionem mysticam vulgo exprimi solet, nimirum adproximationem ipsius substantiae et essentiae Divinae ad fideles. pag. 15. et 16. Occurrunt et hic permulta, quae a tramite veritatis aberrant. Id equidem facile concedendum est Adversario, phrasae Scripturae *S. Spiritum S. effundi, credentes Spiritu S. ungi,* non nisi metaphorice explicandas esse, cum $\gamma\delta$ effundi proprie de fluidis dicatur, quod tamen Spiritus S. non est, quemadmodum etiam proprie non est unguentum; sed collationem Spiritus S. eiusque donorum hoc ipso innui, quatenus, prout praerogativae temporum N. T. nos docent, largiori copia et mensura, Spiritu S. eiusque donis in N. T. beamur, quam quidem ordinarie in V. T. id fiebat, quemadmodum qui aqua perfunditur, largam eius accipit copiam, et Reges, Sacerdotes et Prophetae V. T., quando ungebantur, oleo largiter perfundi solebant: interim tamen contra personalitatem Spiritus S. aequae minus exinde quid colligi potest, quam contra personalitatem Christi, ex eo, quod in baptismo ipsum induere dicamur *Gal. III. 27.* Quando autem simul adferit inhabitationem Spiritus S. in fidelibus non proprie, sed improprie et figurate capiendam esse, iterum hallucinatur. Quae enim eius rei ratio adfit, plane non perspicio. Nec sufficere debuisset Adversario id dixisse, sed probandum fuisset. Quod enim Deus, hinc etiam Spiritus S., omnipraesens licet, salva tamen sua omnipraesentia, non possit uni rei magis esse praesens, quam reliquis creaturis omnibus, non video quid obster, praesertim cum Scriptura S. id in permultis nos doceat exemplis, gradusque in omnipraesentia dari adferat. Quomodo Deus, hinc etiam Spiritus S., in animam hominis fidelis, per collationem donorum suorum, peculiari ratione operans, quemadmodum in reliquis creaturas haud operatur, has exerere queat operationes, nec tamen, qua ipsam suam essentiam et sub-

substantiam, ipsi magis esse praesens, quam reliquis rebus in mundo, scire vellem, praesertim cum ex principiis Ontologicis certum sit: actiones in distans esse non-entia, operationesque a vi, hinc substantia, cuius sunt operationes, aequae esse inseparabiles, ac impossibile est, me qua substantiam et essentiam mensae meae in museo adsidere, et tamen in Auditorio Academico disputare posse. Si Spiritus S. corda fidelium non inhabitat proprie, et mystice cum iis unitur, ita ut qua suam essentiam et substantiam ipsis magis praesens sit, ac reliquis omnibus, et per collationem donorum gratiae inhabitantis in eas operetur, nec Deus Pater cum Christo proprie inhabitat fideles, quod tamen *Iob. XIV. 23.* expresse adseritur: ubi de tali *μονή* s. inhabitatione sermo est, quae adventum s. adproximationem praecedaneam supponit. Talis autem citra dubium inhabitatio proprie talis est. Simili ratione inhabitatio Spiritus S. missionem eius in corda fidelium habet praecedaneam *Gal. IV. 6.* Idea igitur, quam Adversarius noster de inhabitatione Spiritus S. sibi format, quod scilicet nihil aliud ea ipsa indicetur, quam *receptio illuminationis et sanctificationis, quam Deus Pater, unicus ille et verus Deus, per media gratiae confert, eorumque ad faciendos profectus in sapientia, virtute et sanctitate, applicatio et conservatio* (vid. pag. 16) plane non satisfacit Scripturae S. dictis, nullumque alium in finem efficta est, quam ne personalitatem Spiritus S. statuere cogatur, sine qua inhabitatio proprie talis locum habere nequit, cum adproximatio et inhabitatio sit actio, quae non cadit in donum, sed suppositum requirit, quemadmodum in antecedentibus jam monui.

III. *Coincidunt igitur, ita porro verba Adversarii fluunt, Spiritus gratiae et Pater misericordiae, Spiritus pacis et Deus pacis, paracletus et Deus consolationis, Spiritus S. et Pater Sanctus,* (vid p. 16.) Fallitur hic Adversarius, quod paracleti nomen cum nomine Dei omnis solaminis, coincidere putet. Paraclerus enim non consolatorem sed *advocatum* notat, adeoque longe plura adhuc involvit 18).

Porro

18) Vid. SUICERUS in *Thes. Eccles. Tom. II. pag. 583*, GATAKERUS in *Oper. Crit. pag. 793*, PEARSONIUS in *exposit. Symbol. Apost. pag. m. 579. seqq.* LAMPIUS in *commentar. in Iob. Tom. III. pag. 141. Add. b. IOH. OLEARIVS de advocacione I.C. disp. I. Aphor. I. pag. 2. seqq.*

Porro nomen paraclēti nunquam in Scriptura S. Patri, sed Filio saltem et Spiritui S. tribuitur, 19). Filio quidem ita, ut expresse a Patre per hoc nomen distinguatur, ceu παράκλητος παρὰ πατρός I Joh. II. 1. et Spiritui S., ut ceu mittendus a Patre mittente discernatur Ioh. XIV. 16. Quantum ad reliquas Scripturae adpellationes in medium prolatas adinet, dispiciendum est, qualia cum iis iungantur praedicata, utrum ea ad significatum termini Spiritus S. essentialē, an vero ad significatum hypostaticum s. personalem, nos manuducant. Qui enim audita voce Spiritus S. semper et ubique sibi Patrem Sanctum concipere vellet, is certe ad manifestissima absurda delaberetur. Sic qui e. gr. Spiritum S. Matth. XXVIII 19, et I Joh. V. 7. commemoratum, eundem prorsus esse credere vellet, cum eo, quem Christus Ioh. XVII. 11. nomine Sancti Patris adloquitur, is verba Christi Matth. XXVIII, 19. ita interpretari deberet: baptizate gentes in nomine Patris, Filii et Patris, nec non verba Iohannis: Tres sunt testimonium perhibentes in coelo, Pater, Verbum et Pater, et hi tres unum sunt. An igitur Pater a se ipso diversus est? Quomodo ergo Pater, Verbum & Pater tres esse possunt testificantes? Puto haec adeo clara esse, ut pluribus haud opus sit, ad demonstrandam ἀκρίβειαν illam exegeticam, quam in paulo antecedentibus, in interpretatione istarum adpellationum, requisivi, quamve Adversarius noster prorsus neglexit.

IV. Coincidunt porro, sunt novae hallucinationes ἀνίμειντος, hae phrasae scripturae: Deus creavit mundum, et Spiritus S. incubavit aquis, item, per spiritum oris Divini facti sunt exercitus coelorum. Coincidunt porro: Deus scit omnia, quae ipsi insunt, et Spiritus Dei scit, quae sunt in Deo. vid pag. 16. Quamvis equidem quid per Spiritum S. incubantem aquis Gen. I. 2. intelligatur, multis semper disceptationibus et dissensionibus, etiam inter nostros Theologos, expositum fuerit, quae lites, in tanta, qua nunc circumscribor, angustia, componi nequeunt; id tamen certum est, id, quod Adversarius hic quaerit, in isto loco haud inveniri. Quod si enim haec verba: וְרוּחַ אֱלֹהִים מְרַחֵף עַל-פְּנֵי הַמַּיִם, nihil aliud exprimere debent,

19) Vid. WOLFBURGIUS in observation. S. in Nov. Test. p. 458.

debent, quam quod Moses verbis ab initio positis בְּרֵאשִׁית בְּרֵאשִׁית
 אֱלֹהִים indicare voluit, quomodo quaeso! a tautologia, s. otio-
 sa repetitione unius eiusdemque rei, liberari poterit? Quod cum
 non sine temeritate sacro scriptori imputetur, manifestum indicium
 nobis suppeditat, voluisse hic Moses aliud quid nobis insinuare, quam
 quidem Anti-Trinitarius noster vult, nimirum idem, quod Scriptura
 S. alias per אֱלֹהִים et πνεῦμα θεῶν significare solet. Quan-
 tum vero locum *Psalm XXXIII. 6.* concernit, tantum abest, ut id
 contineat, quod Adversarius in eo quaerit, ut potius Spiritum S, ceu
 distinctam personam a Patre, nobis sistat. Quemadmodum enim
 verbum Dei, per quod coeli facti sunt, personam Filii, a Patre di-
 stincti, qui λόγος est non προφορικός, sed ὑποστατικός, designat, ceu
 Iohannes nos expresse docet *cap. I. 3.*, ubi per λόγον, qui est per-
 sona, ut ex *v. 14.* satis aperte discimus, omnia facta esse docet; ita
 etiam per spiritum oris Dei, per quem exercitus coelorum praepa-
 ratum sunt, personam Spiritus S. a Patre et Filio distinctam, non vim
 et omnipotentiam Patris, intelligimus, donec nobis manifeste com-
 monstraretur contrarium, quod nemo inter Socinianos hactenus fecit,
 nec unquam efficiet. Quod porro ad locum *1 Cor. II. 10.* adinet:
Nemo scit, quid sit in Deo nisi Spiritus Dei, miror sane ἀβελβίων
 Adversarii, et si fateri fas est, eius ignorantiam regularum Logica-
 rum, quando ex hoc dicto argumentatur: *Si Spiritus Dei hoc loco*
memoratus peculiaris est et a reliquis distincta persona Divina, sequitur:
quod dentur personae Divinae, quae nesciunt, quid sit in Deo. τὸ
 scire enim quid sit in Deo, ad solum Spiritum Dei restringitur, adeo-
 que de reliquis omnibus, qui non sunt Spiritus Dei negatur, hinc
 etiam de Patre negandum esset, siquidem Spiritus Dei et Deus s.
 Pater forent diversi. Nescit enim naturam et indolem propositio-
 num exclusivarum. Ista vero propositio: *Nemo scit, quid sit in Deo,*
nisi Spiritus Dei, prorsus aequipollet huic: *solus Spiritus Dei scit, quid*
sit in Deo. Propositio vero exclusiva, non excludit ea, quae sunt eius-
 dem rationis, sed illud, quod est extraneum et alienum, sive: non
 excludit ea, quae ab exemplo seu inferiori posito involvuntur, aut cum

C

eo

eo consistere possunt, sed quae illi opposita sunt. Hoc vero supposito, sensus propositionis, quam Paulus profert, hic est: Spiritus Dei, et quicumque est eiusdem conditionis ac Spiritus Dei, scit, quae sunt in Deo, quicumque vero non est Spiritus Dei, et ejusdem cum illo rationis et conditionis, haec omnia nescit. Ita vero facile adparebit, eodem iure quo dico: *Spiritus S. scit, quae sunt in Deo*, me dicere posse: Pater scit, quae sunt in Deo, item Filius scit etc. etc. quia Pater et Filius aequae sunt Deus, ac Spiritus S., quemadmodum propositio in immediate antecedentibus a Paulo allata, idem insinuat: *Quis hominum scit, quae sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est?* quae quoad sensum huc redit: Sola anima humana cuiuslibet individui humani cognoscit suas cogitationes et desideria, quo ipso tamen non excluditur Deus quippe qui cum inferiori posito stare potest, sed alii homines, angeli et diaboli, qui statum animae cuiuslibet interiorum, non intuitive, sed saltem symbolice, in tantum cognoscere possunt, in quantum symbolice manifestari potest. Plura in re manifesta non profero. Pergo autem ad reliquas Anti-Trinitarii nostri meditationes.

V. *Spiritus S. Apostolis a Christo promissus, ipsisque collatus, nihil est aliud, quam peculiaris adfidentia summae et infinitae vis Divinae in executione officii Apostolici ipsis demandati, s. dona ad obeundum Apostolatum ipsis collata.* vid. pag. 42-44. Verum haec idea de Spiritu S. in Apostolis, nullo modo exhaurit, quaecunque partim a Christo ipsis promissa sunt, scilicet, quod Pater ipsis daturus sit *ἄλλον παρακλήσον*, qualis ipse haecenus fuerat *Ioh. XIV. 16*, (adfuerat autem ipsis in propria persona, non secundum vim et dona Apostolis adfidentia), partim non quadrat ad ea, quae Apostoli de hoc Spiritu ipsis collato praedicant. Quomodo enim dona Dei et peculiaris quaedam adfidentia vis Divinae loqui possunt, quaecunque sint auditura *Ioh. XVI. 13*. Quomodo quaelo! de donis Apostolorum dici potest, quod Ananias illis fuerit mentitus *Act. V. 23*.? qui non hominibus, sed Deo mentitus erat *v. 4*. Quis enim sanae mentis homo ita loquitur, vel etiam hanc loquendi rationem ferre potest; Ananias et Saphira mentiti sunt donis Apostolorum,

rum. Mentiri nemini quis potest, nisi personae, five enti intelligenti, quam per falsiloquia decipere tentat. Nec ullo modo dona Apostolorum vocari possunt ipse Deus, in casu recto, quamvis sint Dei, in casu obliquo. Imo si Spiritus S. in Apostolis nihil aliud fuit quam dona Divinitus ipsis collata, scire cuperem, quomodo Spiritus S. a donis suis distingui possit, quod tamen Paulus expresse facit *I Cor. XII. 11.* ubi varia et multiplicia dona Apostolis et primaevae Ecclesiae fidelibus propria recenset, spiritum autem unum eundemque esse, qui distribuat omnia, prouti velit, testatur. Male autem distinguuntur, quae sunt unum idemque. Sed progredior ad ultimum Adversarii adsertum

*VI. Quoties vero in N. T. Spiritus S. fidelibus collatus commemoratur, toties nil indicatur aliud, quam certis animi dotibus, illuminatione et sanctitate, praeditum esse, vitamque agere quae Deo placet. vid pag. 45. 46. Verum nec haec notio unquam ex Scriptura S. aliter, quam per torturam exegeticam, elici potest. Quomodo enim quaeso! dona illuminationis et sanctificationis, vitaeque Deo accepta, pro nobis apud Deum interpellare possunt gemitibus ineffabilibus? quomodo infirmitati nostrae succurrere possunt? quomodo sensum et mentem habere possunt, quem nemo novit nisi DEVS? et tamen haec omnia Spiritui S., qui in nobis clamat: Abba Pater! quive testimonium suppeditat nostro spiritui, quod simus filii Dei, aperte satis tribuuntur Rom. VIII. 26. 27. Quomodo quaeso! illuminatio et sanctificatio per peccata contristari possunt? quod tamen Paulus de Spiritu S., per quem fideles obsignati sunt, expresse satis adserit. Eph. IV. 30. Quis haec omnia citra violentiam eum adsertis Socinianorum nostrique Adversarii conciliare unquam poterit? Quo evidentiora sunt haec omnia, eo minus puto opus esse, ut circa *Ψευδεγραμ-velay* verborum Christi *Matth. XXVIII. 19.* quae isti notioni Spiritus S., fidelibus per praeconium verbi & baptismum collati, innititur, adhuc occupet, cum illa sublata, haec etiam statim tollatur.*

Videbitis igitur Cives O. O. H! ex isthoc specimine, petram illam, cui mysterium S. S. Trinitatis, in specie doctrina de Spiritu S., innititur, stare adhuc firmam et inconcussam, nec arietibus illis,
quos

quos denuo admovit Anti-Trinitarius ille recentissimus, conquassatam esse. Id igitur agite, ut non solum firma fide teneatis, quidquid Scriptura S. de Spiritu S. nobis credendum proponit, sed et operationum eius gratiae tam adfidentis, quam inhabitantis, fiat participes, verique de vobis omnibus dici etiam queat, quidquid Paulus I Cor. III. 16. de Corinthiis enunciat: *nescitisne, quod Dei templa sitis, et Spiritus S. habitet in vobis?* Quem in finem id sedulo caveatis, ut nemo vestrum gratiae Sp. S. praeveniendi, praeparanti, et operanti, resistat malitiose, quippe sine quibus nec perficiens, nec adiuvens locum habere, hinc templum Dei et Spiritus S. in cordibus vestris nec erigi, nec conservari potest. Id enim teste Christo *Iob. XIV. 23.* certum est, quod S. S. Trinitas, adpropriative Spiritus S., veniat ad neminem, mansionemque apud eum faciat, nisi qui Christum diligit, verbumque eius, quod est inprimis Evangelium, fidem iniungens, servet. Sine fide igitur unio mystica cum Spiritu S. nec conciliari, nec continuari potest, nisi adsit et conservetur fides, et peccata mortalia praecaveantur. Id ipsum est, quod et mihi et Vobis omnibus ex animo precor.

P. P.

SUB SIGILLO PRORECTORALI,
FERIA I. PENTEC. MDCCLVI.



rum. Mentiri nemini quis potest, nisi personae, fiv
genti, quam per falsiloquia decipere tentat. Nec ull
Apostolorum vocari possunt ipse Deus, in casu recto
Dei, in casu obliquo. Imo si Spiritus S. in Apostolis n
quam dona Divinitus ipsis collata, scire cuperem, qu
tus S. a donis suis distingui possit, quod tamen Paulu
cit *I Cor. XII. 11.* ubi varia et multiplicia dona Aposto
vae Ecclesiae fidelibus propria recenset, spiritum aute
demque esse, qui distribuat omnia, prouti velit, restat
rem distinguuntur, quae sunt unum idemque. Sed
ultimum Adversarii adfertur

*VI. Quoties vero in N. T. Spiritus S. fidelibus co
moratur, toties nil indicatur aliud, quam certis animi do
natione et sanctitate, praeditum esse, vitamque agere qua
vid pag. 45. 46. Verum nec haec notio unquam ex
aliter, quam per torturam exegeticam, elici potest. Qu
quaeso! dona illuminationis et sanctificationis, vitaeque
pro nobis apud Deum interpellare possunt gemitibus
quomodo infirmitati nostrae succurrere possunt? quom
et mentem habere possunt, quem nemo novit nisi DEUS
haec omnia Spiritui S., qui in nobis clamat: Abba Pater
stimonium suppeditat nostro spiritui, quod simus filii Dei
ris tribuuntur Rom. VIII. 26. 27. Quomodo quaeso! dona
sanctificatio per peccata contristari possunt? quod tam
Spiritu S., per quem fideles obsignati sunt, expresse satis
IV. 30. Quis haec omnia citra violentiam eum adferre
rum nostrique Adversarii conciliare unquam poterit?
riora sunt haec omnia, eo minus puto opus esse, ut circ
velay verborum Christi *Matth. XXVIII. 19.* quae isti non
S., fidelibus per praeconium verbi & baptismum collata
adhuc occuper, cum illa sublata, haec etiam statim tollantur*

Videbitis igitur Cives O. O. H! ex isthoc specim
lam, cui mysterium S. S. Trinitatis, in specie doctrina d
innititur, stare adhuc firmam et inconcussam, nec an

